Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36551
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Est ex contrario qui bonum minime diligens ex malicia quidem perversus
est, sapiens ut faciat malum, pro ignorantia cecus non est. Quem quidem
non diu ideo appellavimus nequam, quod unum ei liceat ad suum malum non de-
sit bonum, id est scientia. Sed est qui bonum forte nesciens quod non diligit agit.
Est profecto non incongrue id quod dicitur nequam assignaverim, eo quod neutro
careat malo, nec cecitate scilicet nec perversitate. Dicitur enim nequam quasi ne-
quaquam, ut is solummodo nequam appelletur qui nequaquam hic est in nullo appa-
reat penitus bonus. Sed sit utique bono vacuus tam videlicet veri noticia
quam et benivolentia. Alius est ita ——— qui prius oculis non quod fallere
promptus sed tamen ut dictum est falli pronus, de quo propheta: Effraim quasi columba
seducta non habens cor. Alius est itaque dominus simpliciter dicitur tam nec fallere
facilis quam nec falli, de quo et apostoli docentur, cum eis dicitur: Estote prudentes sicut s[erpentes]
et simplices sicut columbe. Et notandum. Alius est oculus simpliciter malus, fallens utique libenter, sed non
facile fallitur, quales profecto habent illi qui ore dominico astruuntur pruden-
tiores esse filiis lucis in generatione sua. Et alius quem nequam esse diffinivi-
mus, quia sit dupliciter malus, cum quippe et malicia pariat ignorantiam
et ignorantia maliciam operit, ita ut sepe nesciens et malum quod
vult non faciat et bonum faciat quod non vult. Obscuratum nempe est in-
sipiens cor eorum qui istius modi sunt, et quasi iam tradita in reprobum sensum bonum
omnino nec diligere nec dinoscere queunt. De talibus scriptum est: Im-
pius cum venerit in profundum [illegible]. Hanc quae huiusmodi est cavere profecto malum
non vult etiam si possit, nec si velit scit. Quam obrem hunc in superiori
divisione illo altero censui non inmerito peiorem, non quia malignior sit, sed
quia periculosior. Ignorantia quippe securiorem, securitas segniorem
facit, non equiorem. Est tamen procul dubio ex hoc deterior, quod ille solum
habet malum mala intentione, iste et falsa consideratione. Ille uno ca-
ret ex duobus bonis, bono zelo, iste et vero iudicio. Ex hoc itaque
pessimo oculo qui neutrum bonum habet, et item ex illo optimo qui neutro
caret, sentiendum est veritatem disseruisse aut tenebris obvolvi
totum corpus aut luce perfundi. Nam reliqui duo quorum neuter utrumque
aut bonum habet aut malum, et si ex parte possunt, non tamen tota